

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Affirmative juxta Rubricam“.

Atque ita rescipit, declaravit, indulsit servarique mandavit. n. 5050 ad 6 die 23. Maji 1846.

5) Ad „Oremus“.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXIV. n. 22.*

INDIARUM RITUS.

Vd.: *Ritus (Ind. Orient.)*

INDULGENTIA.

1) Altaris privilegiati.

a) Altare, num fixum vel portat. esse debet?

Vd.: *Indulg. alt. (Altari conced. etc.)*

b) Altari, non lapidi, conceditur.

Exponit humiliter Eminentiae Vestrae Vicarius apostolicus Limburgensis in Neerlandia in suo Vicariatu et in omnibus locis vicinis altaria in Ecclesiis plerumque ita construi, ut fixa et immobilia alicui Sancto dicata, in eodem loco vel in eadem capella remaneant; sed in mensa altaris cavitatem quadratam habeant, in qua lapis consecratus collocatus est, qui, quamvis natura sua portatilis, tamen semper eidem altari fixo impositus permanet.

Stante hac altaris constructione agitur a Clero quaestio, an, quando cuidam altari determinato Sancto dicato Indultum *altaris privilegiati* ad tempus vel in Perpetuum conceditur, privilegium concessum censeatur *lapidi consecrato*, qui, licet altari fixo destinatus et impositus, tamen, cum sit natura sua portatilis, ad aliud altare fixum transferri eique imponi potest. an vero privilegium censeatur concessum altari immobili in loco deter-

minato constructo et alicui Sancto specialiter dicato, ita ut, si lapis consecratus propter legitimum motivum ab altari fixo amoveatur eique alius lapis consecratus substituatur, tamen *altare fixum privilegiatum* remaneat?

S. C. resp.: *Privilegium altari conceditur, non lapidi, qui unus alteri pro necessitate et opportunitate suffici poterit.*

J. Ph. Card. Fransonius,
Praef. S. C. de Prop. Fide.
Die 15. Decb. 1841.

Attentis his Praemissis interrogatum fuit:

1. An in resolutione de 15. Decb. 1841 per verba: *Altare fixum seu locale* S. C. intellexit altare *fixum*, prout a Scriptoribus de rebus liturgicis definitum est?

2. An Vox: *altare portatile* in eadem resolutione habeat eandem significationem dictorum Scriptorum?

S. C. I. resp.:

Ad 1.: S. Congregationem intellexisse *altare fixum* quidem, quod a loco dimoveri non possit, non tamen cujus superior pars sive mensa sit ex integro lapide vel adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit; secus enim diruto altari, quod privilegiatum concessum erat ob alicujus Sancti imaginem, post novam constructionem novo indigeret privilegio.

Ad 2.: Intellexisse altare, ut dicitur *viaticum*, quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad majorem partem, capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur. Die 20. Mart. 1846.

c) Altaris in Ecclesia noviter erecta vel renovata.

Vd.: *Indulg. Eccles.*

d) Altaris a SS. Pontifice consecrati.

Benedictus PP. XIV.

Dilectus filius Emanuel Pereyra Sampajus Militiae Ordinis Jesu-Christi Commendator negotiis Majestatis Tuae (Regis Portug.) apud S. Sedem praepositus saepissimè Nobis declaravit Regale prorsus consilium ac pietatis plenum, excitandi magnificum Sacellum in Ecclesiâ, quae in Civitate istâ Lisbonae Sancto Roccho nuncupata est: Primam totius rei formam cartâ exaratam ac delineatam nostris subjecit oculis, nempe opera sive ex marmore sive ex aere ducenda, aptissimas et elegantes gemmarum conjunctiones, ac tabulas effingendas ex opere concinnè tessellato, quibus omnibus perficiendis peritissimi hujus Urbis Artifices sedulam modò impendunt industriam, et quae Nos ipsi (cum absoluta penitus fuerint) invisuros promissimus, antequam Lisbonam transvehantur. Postremò idem Commendator Sampajus Nobis exposuit, gratissimum fore Majestati Tuae, si, perfecto jam lapide Altaris erigendi in Sacello, quod superius innuimus, ad ipsum consecrandum Nos ipsi deveniremus. Itaque cum jucundissimum Nobis sit morem gerere voluntati Majestatis Tuae, quae Dei cultum augere semper expelit et simul nostri Apostolici muneris partibus satisfacere; hinc absque ullâ haesitatione Nos paratissimos ostendimus, ut hujusmodi Consecrationem susceperemus in Ecclesia S. Antonii, quae ad Lusitanos pertinet, die decima quintâ mensis Decembris anni proxime elapsi quo in Templo octiduum B. Mariae Virginis Immaculatae celebrabatur. Quapropter Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium Episcopum Sabinensem S. R. E. Cardinalem Bichium nuncupatum, olim Apostolicae Sedis Nuntium apud Majestatem Tuam designavimus, qui

praecedenti vesperâ sacras Reliquias exponeret; et re integre peractâ, juxta leges, quae à sacris Ritualibus praescribuntur, Nos postera die solemni indicto comitatu ad eandem Ecclesiam S. Antonii venimus eamque splendide magnificèque ornatam deprehendimus. Cardinales octo nobis advenientibus in Ecclesiae limitibus aduerunt. *Post haec initium fecimus Consecrationi totius lapidis*, qui in parte ejusdem Templi aptissimè collocatus ante fuerat. Postquam, Deo juvante, finem Consecrationi imposuimus, licet plurium horarum spatium requireret, eam facultatem Nobis haudquam tribuimus, quae à Pontificali conceditur Episcopo consecranti, si debilitatus longo temporis incommodo fuerit, nempe ut alium suo loco substituat, qui sacrum faciat *sed Nos ipsi super consecrato lapide Missae Sacrificium celebravimus*. Ritus ejusmodi pietatem incredibilem ac religionem praesetulit, ad quem, praeter Cardinales, quos jam memoravimus, omnes quoque Principum exterorum Oratores, Praesules et Optimates magnâ frequentia convenerunt. Res universa decenter ordinatèque peracta fuit, ob eximiam operam, studium summamque diligentiam, quâ idem Sampajus Majestatis Tuae negotiis apud Sanctam Sedem praepositus maximè praecellit.

§. 1. *Equidem cum Nos ipsi sacraverimus hoc Altare et super ipso Deo operati Sacrum fuerimus, ob hanc causam Pontificium Altare appellandum est, nec ulli licet Sacerdoti ad ipsum accedere, ut Missae Sacrificium peragat, nisi antea facultas nostra intercesserit, juxta morem et institutum S. R. E., quae Mater et Magistra caeterarum Ecclesiarum habenda est. Id apertè demonstratur exemplo Altarium, quae sunt in Ecclesiis Lateranensi, Vaticanâ aliisque Patriarchalibus hujus Urbis, in quibus*

Aris solus Romanus Pontifex Sacrum facere potest aut etiam Cardinalis aliquis certis temporibus, factâ tamen prius à Pontifice potestate, quae per Apostolicum diploma declaratur. Anno 1588 Sixtus V. Decessor noster Sanctum Didacum solemni ritu inter Coelites adnumeravit, ac deinde Philippo Catholico Regi dono missit Altare, ad quod sacrum fecerat, cum ritum ejusmodi Canonizationis perageret; Pontificium illud Altare pronuntiavit permisitque Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus Tiarâ insignitis et illis, qui primam Dignitatem in Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus obtinerent, demum Generali Ministro Ordinis Minorum S. Francisci ac Priori in Monasterio S. Laurentii, Sacrificium Missae super eodem Altari conficere diebus Festis Domini, B. V. M., Feria quintâ in Coena Domini, in celebritate Sanctorum omnium ac S. Didaci, uti constat ex ejus Diplomate, quod die 20. Augusti promulgatum fuit eodem anno, quem paulo ante indicavimus.

§. 2. Nos quidem instituta Decessorum nostrorum retinere perpetuo volumus; sed quibusdam gravibus causis adducti paululum declinabimus ab eâ viâ ac ratione, quam illi pro hujus rei exequutione tenuerunt. *Ipsorum sententiae constanter adhaeremus, nemini licere ad Pontificias Aras Sacrum celebrare, nisi prius Apostolicam facultatem pro re gerendâ consequutus fuerit; lamen pro eadem facultate tribuendâ diversum consilium a Decessoribus nostris suscipiemus; etenim cum Romae diploma Pontificis toties necessa id requiratur, quoties ad Aras hujusmodi Romae existentes Missae Sacrificium indicendum est et eadem facultas solis Cardinalibus conferatur, nempe cum dies quidam festi peculiâres celebrantur, et cum Sixtus dies etiam illos designaverit, quibus liceret*

sacrum facere super Altari, quod ad Catholicum Hispaniarum Regem Matritum transvehi jusserat; Nos pietate singulari Majestatis Tuae permoti et sperantes etiam ob singularem Dei bonitatem fore, ut reliqui omnes Lusitaniae Reges eadem pietatis laude commendentur, absque ulla dierum aut Sacerdotum limitatione Majestatem Tuam et Reges Lusitaniae pro tempore futuros constituimus, ut nostro nomine et S. hujus Sedis facultatem impertiant sacrum faciendi ad Altare, quod a Nobis consecratum Lisbonam devehetur; pro certo habentes idipsum negotium tam cautè ac prudenter a Majestate Tuâ pertractandum esse, ut nihil unquam futurum sit, quod rationi parum consentaneum videatur. *Insuper ipsum Altare perpetuo privilegiatum declaramus, quamvis in Ecclesiâ S. Rocchi aliud Altare praeditum simili jam privilegio existat: Regi autem Lusitaniae pro tempore, item Reginis caeterisque eorum Consanguineis et Affinibus usque ad tertium gradum inclusivè, plenariam Indulgentiam et omnium delictorum remissionem elargimur, quoties Poenitentiae Sacramento expiati et Sacra Synaxi refecti ante ipsum Altare preces ad Deum effudent, ut haereses extinguat, Christianos Principes ad concordiam deducat et Sanctam Ecclesiam in altiore gloriae et dignitatis locum efferat.*

Datum Romae die 15. Jan. 1745.
(Bull. r. t. XVI. p. 275.)

Benedictus PP. XIV.

V. Fr. Cardinali Antonio Xaverio.

Magnitudo Tuae devotionis ad Nos facit, ut ea, quae ad ipsius Tuae devotionis augmentum cedere possunt, concedamus. Ut igitur Tu in die festo S. Hieronymi c. et e. d., postquam nos in Liberiana Basilica a S.

Sixto PP. III. Praed. N. dedicata Altare Papale olim in ea a S. Paschale PP. I. erectum et consecratum et successive a Clem. PP. III. novo superposito lapide denuo pariter consecratum, nuper vero penitus dirutum et a Nobis restitutum et consecratum, in praefato Papali altari tanquam a Nobis delegatus Missam celebrare possis, Fraternitati tuae pro hac vice dumtaxat ipsa die missam ibidem etiam in praesentia Nostra celebrandi tenore praesentium de gratia speciali licentiam concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae die 30. Sept. 1750.
(Bull. r. t. XVIII. p. 176.)

e) Color Param. in miss. pro lucr. Indulg.

Vd.: Color Param. (in miss. de requ.)

Ad dubium: 1) Utrum, qui Privileg. habet personale pro quatuor missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non impeditis, uti possit indulgentiam plen. pro animabus def. lucrari?

2) Utrum, qui celebrat in altari privileg. pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut indulgentiam Privilegii consequatur? S. C. J. resp.

Ad 1: Affirmative.

Ad 2: Affirm.

Die 11. Apr. 1840; 10. Sept. 1845.

Ad dubium: Utrum color niger sensu exclusivo debeat intelligi, ita ut indulgentiam altaris privil. non consequatur, qui v. g. ad ministrandam Eucharistiam per modum Sacramenti cum paramentis violaceis missam de Requiem celebrat? S. C. J. resp.: Ut fruatur altari privilegiato sacerdos diebus non impeditis celebrare debet missam def. et uti paramentis nigris

vel ex rationabili causa violaceis. Die 16. Febr. 1852.

Ad dubium: an tolleranda consuetudo celebrandi missas def. in paramentis violaceis ad hoc ut possit praebere .s. communio cum particulis praeconsecratis? S. C. R. resp. Serventur Rubricae. Die 23. Sept. 1837.

BELLICEN.

Altare majus Sacelli juris Julii e Baronibus de Serphanion in Castro vulgo de Epirre intra fines Dioec. Bellicen. s. m. Gregorii Papae XVI. quotidiano gaudet Privilegio. Quum autem supponeret ipse Baro quod ad lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati omnino requiratur, ut quilibet Sacerdos in eo celebrans in s. Paramentis adhibere debeat colorem nigrum, uti exigunt Decreta S. R. C., id grave admodum experiri fatetur; ac proinde SSinum. D. N. Pium IX. P. M. enixis precibus rogavit, ut Apost. elargiri dignaretur Indultum, cujus vigore cuicumque Sacerdoti in memorato Altari celebranti liceat uti Vestibus s. coloris Officio diei respondentis, et Plenariam quotidie Indulgentiam lucrari. Hujusmodi preces quum Secretarius infrascriptus retulerit in Ordinaris Comitibus ejusdem S. R. C. ad Quirinale hodierna die habitis, S. ipsa C. respondendum censuit: „Enunciata Decreta intelligenda esse de Missa Defunctorum seu de Requie, quae omnino in casu dicenda est, quando a Rubrica permittitur; nam juxta Constitutiones Summorum Pont. Alexandri VII., Clementis IX. et Innocentii IX. Indulgentia Altaris privilegiati in Duplicibus lucratur per celebrationem Missae Officio diei respondentis, et cum colore Paramentorum conveniente cum applicatione Sacrificii.“ Atque ita rescripsit declaravitque. n. 5123 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: Utrum Indulgentia pro Defunctis, iis applicari possit in Missis in Altari privilegiato celebratis, quando ex statuto de die aut festo celebratur iis diebus, in quibus habetur Missa de Festo etiam simplici, aut propria de Feria et in Feriis Adventus? Et S. eadem C.... rescribendum censuit: Juxta Votum Magistri Caeremoniarum, nimirum:

„Negative.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4780 ad 5 die 27. Aug. 1836.

NOTA GARDELLINI AC HOC DECRETUM:

Exponit Illmus. ac Rmus. Episcopus Rhedonensis Praedecessorem suum Barreau de Girac anno 1785, cum novam Missalis editionem in usum Rhedonensis Dioecesis typis mandavit, hanc de Missis Votivis defunctorum privatim celebratis apposuisse clausulam: *In diebus, quibus Missa repetenda foret de Dominica infra hebdomadam, Missa votiva, aut pro Defunctis dici potest; quod tamen passim non fiat, nec sine rationabili causa, quae gravior esse debet, aliis diebus, in quibus habetur Missa de Festo etiam simplici aut propria de Feria et in Feriis Adventus: tunc enim rectius dicitur Missa occurrens, nisi aliter exigat foundationis alicujus tenor expressus.* Haec igitur clausula superiori Dubio facilis admodum solutionis occasionem praebuit; quod propterea paucis solutum videtur.

Praetermitto hic super praedicta clausula aliquid adnotare, quod adnotari certe posset. Dicitur enim posset, communibus Indultorum de Altaribus sive localiter sive personaliter privilegiatis legibus et conditionibus adversari, per se enim hoc patebit, quin aliquid singulariter adnotem, mitto etiam rationes in clausula ipsa ad-

ductas ad examen vocare, cum in ea dicatur graviorem rationem requiri celebrandi Missas et votivas et pro defunctis diebus, quibus occurrit Missa de Dominica repetenda, quam diebus in quibus habetur Missa de Festo simplici aut propria de Feria in Feriis Adventus: haec ratio sponte omnino corrui. At etsi adducta valeat ratio, in oppositum valet, tunc enim major est Missae cum Officio concordatio; quod quidem attendendum est, quodque in altero casu ut plurimum occurrit.

Mitto haec omnia, et directius respondeo. Missae in Altari privilegiato celebrandae ex ipsis conditionibus appositis in concessione debent esse *de Requie*, nisi cum aliud Festum duplex vel Dominicus dies occurrant, tunc enim acquiritur indulgentia etiam si Missa de Festo celebretur. Perinde est autem sive Altare illud privilegium habeat perpetuum sive ad septennium sive certis tantummodo infra hebdomadam diebus, sive privilegium sit personale... Si igitur Testator vel eleemosynam pro altari privilegiato Fidelis praebens jusserit celebrari Missas certis statutisque hebdomadae diebus ad altare privilegiatum, et in dies istos incidat aliquod Festum etiam duplex, satisfiet Testatoris et Fidelis eleemosynam offerentis voluntati Missam de Festo celebrando. Idem dicendum de diebus, in quibus duplex non occurrit, sed Missae pro Defunctis dici nequeunt, ut in Octiduis Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes. Licet autem in octiduis Corporis Christi, ac Natalis Domini de Festo duplici celebritas agatur; S. tamen R. C. annis 1670 et 1700 vetuit, ne solemnia pro defunctis eo tempore indicerentur. Idem omnino praecipitur, cum Sacrosancta Mystra palam exposita adorantur. Haec omnia ex Decretis variorum Summorum Pontificum liquent,

quorum postremus est Innocentius XI., qui Decretum super hac re edidit, quod et confirmavit Clemens XI., et haec apud Benedictum XIV. indicata reperiuntur Institutionum 34 §. 26, 27, in quorum primo ait Pontifex: *Juxta Missalis Rubricas Missae privatae pro defunctis quocumque die dici possunt praeterquam in Festis duplicibus et Dominicis diebus, item quibus diebus de Festo duplici nullum Officium institui potest: et jure, nam si dies excludunt Officium duplex, eo magis excludunt Missas Votivas et de Requie.*

Itaque Missae Altaris privilegiati debent esse *de Requie*, nisi hae nequeant celebrari vel ratione Festi duplicis vel quia vetantur. Ex his omnibus inferendum est, Missas ad lucranda Indulgentiam pro Defunctis in Altari privilegiato sive *locali* sive *personali* non solum posse sed etiam debere esse *de Requie*, nec ullam causam requiri, ut celebrentur diebus non vetitis sive occurrat de Sancto simplici sive de Feriis Adventus. Dixi *debere*, et de jure; nam eo ipso, quo quis diebus istis non celebret *de Requie*, privilegio vel locali vel personali facto renunciat cum ex lege, ex conditionibus memoratis hisce diebus, ut privilegio gaudeat, Missam *de Requie* celebrare tenetur. Quare clare evincitur diebus in Dubio memoratis et a clausula Episcopi Rhedonensis, hodierni Episcopi praedecessoris exclusis, non modo posse sed et debere Missam *de Requie* celebrari, ne frustraneum Altaris privilegium reddatur.

Quid plura? (et hoc ad omnem removendam praecavendamque dubitationem aliis adductis adjungam) Episcopus Rhedonensis rationem inquirens clausulae a suo Praedecessore Missali adjectae pro celebratione Missarum (quod quidem nescio qui fieri posset)

advertit, ideo fortasse fuisse adjectam, quia dari poterat Sacerdotes raro de feria aut de Sancto celebrare, quia in Dioecesi Rhedonensi multo plures dicuntur Missae pro Defunctis, quam pro quacumque alia causa, *ita ut ex centum stipendiis, nonaginta, ad minus, dentur in gratiam defunctorum.* Si ita est, jam ratio celebrandi memoratis diebus etiam iis, quos clausula praedicta exclusos vellet, majorem vim accipit. Est igitur ratio potior, cur defunctorum animae suffragio peculiari non priventur, et est potior et gravior ratio, ob quam, cum possit, debeat in altari privilegiato vel personali vel locali celebrari Missa *de Requie*. Et si lex generalis Rubricarum, quas Gallia recepit (recepit autem et eas servandas ostendit, nam et Pontificum et S. R. C. super Rubricis edita appellat) si, inquam, lex generalis talis est, ut memoratis diebus, in quos vel Festum de simplici vel feriale Officium vel Adventus cadit, non solum permittit celebrationem Missae *de Requie*, sed et ad eam obligat, statim ac nullus privilegio gaudet nisi hujusmodi Missas celebret iis diebus; cum insuper particularis cujusdam Episcopi dispositio huic universali praescriptioni opponatur, non illi sed huic standum est, atque idcirco his diebus Missa *de Requie* dicenda est, ut et lex servetur, et ne purgantium animae peculiari piaculo priventur, neve ex hac particulari Episcopi Rhedonensis dispositione et clausula patiantur detrimentum. Si haec non sufficiant, addam et alia, ut hodierno Illmo. Episcopo satis fiat illiusque animus acquiescat. Ecclesia animarum suffragio consulit et fidelium viventium voluntati. Ne enim illae suffragiis privarentur, voluit, quod, si ex benefactorum praescripto Missae *de Requie* celebrandae incidant in Festum duplex, tunc minime trans-

ferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorundem benefactorum. Patet id ex Decreto generali *sub die 5. August 1662* in authentica Collectione Decretorum. Idem confirmavit S. R. C. in Elboren; in quo servandum esse hoc generale Decretum statutum fuit. Idem sancitum reperitur sub *Alexandro VII. die 20. Julii 1669*. Idem denique in *Tirasonen die 15. Sept. 1714*. Quare non video cur de hoc possit dubitari. Sive igitur dies inspiciamus, de quibus in Dubio, cui hi dies sint feriales, vel eos, in quos incidit Festum de simplici, tales sunt ut in his non solum possit sed debeat celebrari Missa de *Requie*, sive S. R. C., decreta investigemus, quae permittunt, ut in duplicibus etiam de Festo occurrenti Missa celebretur cum applicatione Sacrificii, juxta benefactorum mentem et in utroque casu provisum sit animarum suffragiis: in primo, servando regulas statutas quoad privilegium Altaris vel locale vel personale et celebrando Missam de *Requie*, in secundo autem permittendo Missam de festo cum applicatione Sacrificii; si, inquam, haec omnia consideremus, clausula praedicta nihil officit. Quare patet, *non comprehendi in citato Decreto diei 15. Sept. 1714, dies vel feriales vel de Festo simplici, itemque opus non esse nova concessione pro applicatione aliis diebus, et dari posse Decretum generale jam datum, quod nuper relatum est.*

f) Estne communicabilis?

Vd.: *Privileg.* (Communic.)

Ad dubium: An privileg. altaris sit communicabile? S. C. I. resp.: Negative. Die 5. Febr. 1748.

g) Confirmatio.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

h) Non derogatur per Jubilaicum neque alias Ecclesiae concessas indulgentias.

Cum Cameracensis Archiep. quaesivisset, quae vis et sententia clausulae: „*Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam ecclesiam quolibet anni die visitantibus alia indulgentia perpetua vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit praesentes litterae nullae sint*“? S. C. Indul. resp.: *Ea minime contineri altaria privileg. pro def.*, neque indulgentias aut certo genere personarum concessas aut Confraternitati, Regularibus et Capitulo aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis qui Christiana doctrina erudiuntur vel alios audiunt et qui SSmi. expositioni cum Oratione 40 hh. intersunt, neque Stationem Urbis et 7 altarium Basilicae Vat. concessas, neque demum, quae pro unica vice conceduntur. Caeterum si alia indulg. sive plenaria sive non plen. in perpet. vel ad tempus, tum ab eodem tum ab alio rom. Pontifice generatim Christifidelibus ecclesiam vel aliquod ejus altare seu capellam visitantibus eodem anni die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris ap. mentio, has litteras ad adjectam clausulam esse prorsus irritas ac nullas. Die 23. Junii 1676, approb. SS. D. N. 18. Mart. 1677 et Clem. XI. die 11. Sept. 1716. (Bull. r. t. VIII. p. 445.)

Vd.: *Indulg. infra Jubil.* (Quae non cessat?)

i) In Die Commem. Omn. fid. Def.

Vd.: *Indulg. alt.* (Eccles. par. etc.)

Innocentius PP. XI.

Ut omnes et singulae missae, quae die Commemorationis Omn. fid. def. per quoscunque sacerdotes tam saec. quam reg. cujusvis Ord., Congreg. vel Instituti in *Hispaniarum regnis* ad quaecunque altaria celebrarentur, animabus fid. def., pro quibus celebratae fuissent, perinde suffragarentur, ac si ad altaria privileg. pro animabus def. celebratae fuissent, auctoritate ap. indulgimus et alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 15. Martii proxime praeteriti expeditis literis, *quas ad decennium tantum valere volumus.*

Has gratias precibus humiliter porrectis ipsasque literas cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis ad *reliqua omnia et singula regna status, ditionis et dominio Caroli Regis*, servata tamen in reliquis earundem literarum forma et dispositione, auctoritate praedicta tenore praesentium extendimus et ampliamus ipsasque literas sic extensas perpetuis futuris temporibus valere declaramus.

Non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae 20. Sept. 1679.

(Bull. r. t. XI. p. 270. Ed. Luxbg.)

k) In diebus non imped. est missa de requie necess. ad eam lucranda.

Vd.: *Indulg. alt.* (Color Param.); *Missa de Requ.* (privata in dupl. ad libit.); *Missa de Requ. privata in dupl.* (vd. in fine *Constitut. PP. Alexandri etc.*)

Missa def. omnino dicenda est, quando a rubrica permittitur. S. R. C. 22. Jul. 1848.

Ad dubium: An videatur magis consonum dicere missam de festo *singulis diebus* in altari privileg., cum in ecclesia Monialium Ord. Cisterc. Monasterii loci Columberio quotidie fieri soleat s. communio, quae in para-

Decreta authentica.

mentis nigris dari nequit? S. R. C. resp.: Negative. Die 15. Jul. 1769.

l) Dies et octavae, in quibus per missam de festo Indulg. lucrari potest.

Vd.: *Missa de Requ. priv. in duplicib.*, (vd. in fine *Constitutiones PP.*); *Altare privileg.*; *Missa* (in altari etc. praescripto, — decr. Innoc. XII.)

In altari pro certis diebus privilegiato non potest dici missa de Requ. festo dupl. de praeepto. Die 24. Apr. 1627.

Ad dubium: An in octavis solemnioribus et in dupl. possit in altari privileg. celebrari missa de requ. pro anima particularis defuncti? S. C. R. resp.: Servandas esse rubricas. Die 24. Maji 1653.

Cum alias S. Mem. Alexander VII. de consilio S. R. C. sub Brevis de dato 22. Jan. 1667 declaraverit, ut in diebus impeditis a festo duplici, quibus missae de Requ. celebrari non possunt, celebrando missas de festo currenti in altaribus privileg. quotidianis perpetuis, eadem indulgentia lucretur, ac si missa de Requiem secundum Privilegiorum formam celebraretur: et deinde cum eadem declaratio praecedendo etiam votum ejusd. S. C. a S. M. Clem. IX. alio sub Brevis sub die 23. Sept. 1669 extensa fuerit omnibus altaribus privileg. non perpetuis nec quotidianis, ita ut favendo privilegio suffragetur celebratio missae in illis de festo currenti: Nunc ortum dubium: an supradictae declarationes Alex. VII. et Clem. IX. intelligantur etiam in diebus dominicis et infra octavas Pasch., Pentec. et Corp. Christi? S. R. C. resp.: Supradictas declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas non potest dici missa de requ. Die 3. Apr. 1688.

Ad dubium: An Privilegiatus legendo *de Requiem* in altari privil. die privilegiata, quae occurrit in festo dupl. aut infra octavam festum dupl. excludentem, lucretur indulgentias altari privil. concessas? S. R. C. resp.:

Quoad altaria seu in perpetuum seu ad septennium seu ad aliud brevius vel longius tempus sive pro omnibus sive pro aliquo vel aliquibus hebdomadae diebus privilegiata, in quibus ex obligatione vel ex sola fidelium devotione etiam in dupl. celebrandae sint missae de Requ., per celebrationem missarum de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem benefactorum satisfieri dictis obligationibus et suffragari cum iisdem indulgentiis, perinde ac si essent celebratae missae de Requ. ad formam privil. juxta declarationes super his alias editas et approbatas a S. M. Alex. VII. et Clem. IX. Die 24. Julii 1683.

Juxta Constitutiones SS. PP. Alexandri VII., Clem. IX. et Innoc. XI. indulgentia altaris privil. in duplicibus lucratur per celebrationem missae officio diei respondentis et cum colore paramentorum conveniente cum applicatione Sacrificii. S. R. C. 22. Julii 1848.

LIMBURGEN.

Instante Rmo. D. Petro Jos. Blum Episcopo Limburg. S. R. C. die 9. Maji 1857 respondit: attenda invertebra tam ejusdem Dioecesis quam plurium aliarum Germaniae regionum consuetudine rata haberi posse ac etiam in posterum admitti pia quaedam missarum legata ex fundatorum lege coram SS. Sacramento sol. exposito celebrandarum in suffragium unius vel plurium Fidelium def., quamvis ejusmodi missae salva tantum ipsarum applicatione, quae semper fit juxta

mentem fundatorum, nunquam ob dictam SSmi. expositionem celebrari possint de Requie, nec iis diebus, quibus aliunde per rubricas liceret. Hoc responso accepto, quum Episcopus Orator incertus haeserit: *An hujusmodi missae pro defunctis applicandae beneficio altaris privil. quoad Indulgentiam plenariam pro Defunctis lucranda gaudeant?* — pastoralis sui muneris esse duxit opportunam hac de re declarationem a S. R. C. humillimis precibus implorare. S. porro C. in forma Brevis SS. PP. Alex. VII. diei 24. Jan. 1667; Clem. IX. diei 23. Sept. 1669 et Innoc. XI. diei 4. Maji 1688 rescribendum censuit:

Affirmative, dummodo altaria, ubi missae ejusmodi celebrantur, gaudeant privil. ap. pro animabus fidel. def.

Die 14. Aug. 1858.

Relata postmodum quum fuerit per subscriptum Secretarium D. N. Pio PP. IX. S. C. sententia, illam S. S. ratam habere et confirmare dignata est. Die 9. ejusd. mensis et anni.

Missa de semidupl. vel voto vel de feria celebrata in altari privileg., in quo est expos. SS. Sacramentum sive in Ostensorio sive in Ciborio, suffragatur Defunctis ac si de Requiem diceretur. S. C. I. 20. Julii 1751.

m) Ecclesiae Cathedralis, Metrop. et Patriarch.

Benedictus Papa XIII.

Omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium def. animae D. N. J. Chr. ejusque Sanctorum Suffragia meritorum consequi et illis adjunctae expurgatorii poenis ad aeternam salutem per dei misericordiam perducere valeant. Volentes igitur omnes et singulas Patriarch., Metrop. et Cathedr. totius Orbis catholici ecclesias, in quibus

altare privilegiatum quotid. perpetuum forsitan non reperitur concessum, et in eis altare per Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos respective locorum gratiam et communionem Sedis apost. habentes, semel tantum designandum speciali hoc dono illustrare autoritate Nobis a Domino tradita ac de omnipotentis dei misericordia et B. Petri et Pauli apost., ejus autoritate, ut quandocumque sacerdos aliquis saec. vel reg. missam def. pro anima cujuscumque Christifidelis, quae deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum Suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem D. N. J. Chr. ac B. V. M. Sanctorumque meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae 20. Julii 1724.

(Bull. r. t. X. p. 235. Ed. Luxbg.)

n) Ecclesiar. parochial. et aliarum.

Urbis et Orbis.

SS. D. N. Clemens Papa XIII. praevio voto S. C. Indulgentiis et S. Reliqu. praepositae, revocatis omnibus hujusmodi privilegiatis altaribus praecedenter *intuitu paroeciae*, sive in perpetuum sive ad tempus jam concessis, indulsit 19. Maji 1759 *omnibus Ecclesiis paroch. Orbis christ. absque ullo onere Missarum altare privileg. quotidianum ad Septennium*, ea tamen adjuncta lege, ut quilibet Episcopus pro sua resp. dioecesi de hujusmodi gratia supplicet. Expleto vero Septennio Sanctitas Sua praecipit omnibus Episcopis, Abbatibus et sede vacante Vicariis Capitularibus sive in Spiritualibus Abbatiarum Administratoribus, ut pro unaquaque suarum

dioecesium paroecia supplicent pro confirmatione ejusdem privilegii ad aliud Septennium. Idque fieri jubet sub unico tantum Breve atque vult hoc unicum Breve suffragari omnibus uniuscujusque Dioecesis Ecclesiis paroch. Ne autem parochi expensis graventur, vetat omnibus tum Episcoporum quam Abbatum Officialibus sub poena nullitatis praefati privilegii, ne quidquam penitus exigant a parochis sive pro ipsis certiorandis sive in expediendis litteris pro designatione altaris privil. in eorum paroeciis. Praeterea ne hujusmodi privilegio fraudentur aliae Ecclesiae pollentes speciali praerogativa, veluti Colleg. et Abbatiales nullius et parochiales a se dependentes, S. S. pari benevolentia, modo supra indicato, hoc idem privilegium mox enunciatis Ecclesiis communicatum voluit.

Cum ex veteri more et laudabili Ecclesiae Instituto die 2. Novbr. Omn. Def. memoria recolli eorumque animae ab universis Christifidelibus orationibus, eleemosynis aliisque piis operibus et ecclesiae suffragiis, potissimum vero acceptabili SS. missae Sacrificio juvari soleant, SS. D. N. Clem. P. XIII. ex paterna sua charitate erga omnes fideles tam vivos quam defunctos, animabus eorum, qui ex hac mortali vita in gratia et charitate Dei, nondum tamen omnibus mundanis sordibus expiatis, decesserunt, de inexhausto cath. ecclesiae thesauro abundantius suffragari quam maxime cupiens, ut celerius a Purgatorii poenis liberatae ad aeter. gloriam per Dei misericordiam pervenire valeant, de consilio VV. S. R. E. Card. Indulgentiis et s. Reliquis praepositorum universali hoc decreto perpetuis futuris temporibus valituro benigne concedit, *ut Missa die praedicta Commem. fid. def. a quocumque sacerdote saec. vel reg. cujuslibet Ord. et Instituti celebranda gaudeat privilegio, ac si esset in al-*